

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput X

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT X.
DE CERVO.

Cervos dari albos, cornigeras cervas certum est. Vidit eos Apollonius Paracam Indiae urbem praetergressus. *Philostrat. l. 3.* circumduxit Sertorius, à Diana datam, consilia suggerere mentitus, milites in officio ut contineret. *Gellius.* Cæpit ex his unam Ludovicus Rex Gallia, cumque conjux Anna Britanna, quid sibi vellet, quæretet; Omnes tales ante fuisse dixit, demptas à Deo propter superbiam Sangui eorum nullæ fibræ: quare non similiter ut aliorum crassefecit. Fel non in jecore, sed aut intestinis aut cauda. Hinc tanta huic amarities, canes ut non attingant. *Plin.* In capite vivos habent vermes viginti interdum, & illos discretos; magnitudo eorum est qui in putridis carnibus. Sub lingua in concavo nasci dicunt, circa vertebram, qua cervici annascitur caput. Natu grandibus os capitis sub oculo si terebraveris, vespas ex humore superfluo concretas evolare conspicias, si Venatoribus credendum, & tunc diutius vivere nequit, nisi serpentum renovetur esu. In cordis basi, inter auriculam majoris ventriculi & urinalem venam os inveniri scribit *Gesner.* De sanguine id cordis esse subrufum, & melancholicum addit, de vapore ob siccitatem in osleam substantiam converso quidam adjiciunt. Subjungunt denique nonnulli non alio tempore inventi, quam eo quod inter duos divæ Virginis festos intercedit dies; hoc est à medio circiter Augusto, ad Idus Septembris Cerva prope semitas parit. Tutam enim se existimat frequentia hominum, ferarum solitudine; Vbi peperit, in volucrum exedit primo, hinc fefeli herbam medicamenti in partu loco habet. *Arist. in hist. Animal.* Mare tranant, classium more, dux antecedit, sequuntur cæteri: capita in mutua reclinantur terga, claudit mox primus agmen, fessas ubi senserit vires, eas ut recol-

recolligat. Serpentem naturæ munere vincit Spiritu enim fortiter attracto, educit è latebris, post procumbentem vorat. Insequitur balneum epulas cancrorum, quæ esus, lachrymæ denique funduntur, in lapidem Bezoart vertuntur effusa. Perit, si his non præmissis biberit, *Gesner.*

CAPUT XL DE CANE.

Multa in Cane miranda, partus, sagacitas, mortuus, docilitas, fidelitas, & alia. Cæcos gignit catulos, qui, quo largiore aluntur lacte, & tardius vident; vulgaris tamen terminus septimus est dies, si cito fit; vigesimus, si tarde. Quidam tradunt, si unus gignatur, nono die cernere, si gemini decimo, idemque in singulos adjici, totidemque esse tarditatis luces: ab ea denique quæ fœmina sit ex primipara genita, citius cerni. Optimus in sætu qui novissime cernere incipit, aut quem primum fert in cubile fata. *Albertus* scribit, visam sibi è mastinorum genere canem, quæ primo novendecim simul peperit, post octodecim, tredecim tandem. Sagacitas ei tanta, ut nunquam canis carnem, ne varietate quidem condimentorum fallacissime temperatam, degulset. In Scorïa genus est quoddam, quod furem persequitur, qui si fluvium trajecterit tranat & idem, in adversam ubi appulit ripam, tamdiu in gyrum procurrere non cessat, donec odoratu vestigia assecutus fuerit. *Gesner.* Rabidi morsus & mire venenatus & lethalis est. (corripitur autem rabie circa caniculares menses, ex nimio dentium dolore; restituitur sibi, si, helleboro cum polenta comesto, evomerit) Vrina enim rabidi calcata, maxime nocet ulcus habentibus, & observatum aggregari vulnera illorum introitu qui unquam fuerint canis dente læsi: iidem gallinarum incubatus, pecorum fœtus abortu vitiant. Recruduit cuidam duodecimo post mortuum anno in brachio vulnus. Et intra biduum obiit.

Albertus.